

THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY
OF
DUKE UNIVERSITY



Rare Books

I. N. D. N. 7. C.

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

ΓΥΝΑΙΚΟΒΑΠΤΙΣΜΩ

Rato, recto, nec iterando.

Quam

PRÆSIDE

Dn. BALTASARE BEBELIO.

S. Theol. D. & PP. &c.

Publicè

defendet

M. JOHANNES DAVID BUTTNERUS,

Spirensis.

In

Auditorio æstivo.

Die Augusti Anno M. DC. LXXIX.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, MA-
XIME REVERENDO, EXPERI-
ENTISSIMO, EXCELLENTISSI-
MIS, PRÆCLARISSIMIS
AC SPECTATISSIMIS

STIPENDII
PRECHTERIANI
PRÆFECTIS.

*Dominis suis Gratosissimis,
Hospiti, Patronis ac Studiorum Pro-
motoribus perpetuo observantia cultu
prosequendis.*

Disputationem hanc Theologicam,
in argumentum

*memoris acceptorum beneficiorum gratiæ
anini,*

& spem continuandi in se patrocini
dicat ac dedicat

humillimus cliens
M. Joh. David Büttnerus.




Quod DEUS bene Vertat!

De

Baptismo mulierum rato, recto,
nec repetendo.

§. I.



Nter alias controversias, quas Calviniani Evangelicis movent, etiam aliqua, nec levis, est, de Baptismo à mulieribus in casu necessitatis administrato, quem nostri, *ratum, rectum, nec repetendum esse, statuunt: illi vero nec rectum, nec ratum censent, sed nullum; adeoq; repetendum, seu, ut ipsorum stylo loquamur, administrandum ijs, qui à mulieribus sunt baptizati, tanquam nondum baptizatis. Alicujus momenti esse hanc controversiam, patet ex judicio adversariorum de γυναικοβαπτισμῶν, quem vocant impiam, & sacrilegam Baptismi profanationem, cui usque ad sanguinem resistendum potius sit, quam consentiendum; quæ verba sunt Calvinii in epist. ad Montisbelg. p. 43. crassam superstitionem; in epist. ad Popp. pro nibilo ducendam l. c. adulterinum Baptismum; p. 334. qui pugnet cum Christi institutione. l. c. Figmentum, fabulam, crassam & putidam sacri ministerij profanationem, uti Bezzæ loqui placet. part. II. 99. q. 39. Factum παρὴνομον καὶ ἀσεβὲς illegitimum, & impium. Wendel. System. maj. lib. I. c. XXII. p. 845. Transeo lubens alia γυναικοβαπτισμῶν intentata crimina & convitia; per quæ Theologi Evangelici, γυναικοβαπτισμὸν probantes, & defendentes, probant,*

Proœmium,

Momentum.

bant, atque defendunt *impiam & sacrilegam Baptismi profanationem*, cui potius ad sanguinem usque resistere deberent, quam consentire; *superstitionem, eamque crassam, pro nihilo ducendam, & adulterinam; cum Christi instituto pugnantem, figmentum, fabulam, crassam & putidam ministerij profanationem, illegitimum, & impium factum*; Hæc illi pro sua mansuetudine & modestia. Accedit periculum in praxi, & confusio, & alia incommoda; si enim, qui à mulieribus baptizati sunt, verè baptizati non sunt, iidem etiam, vulgari more loquendi, Christiani non sunt, nec meliores Anabaptistis, ante annos discretionis nondum baptizatis; Ergo demum baptizandi, ut Christianorum beneficiorum fiant participes, hætenus illis destituti, & indigni; ut alia ἀποπα nunc sileamus, de quibus infra §. 36. quædam attingemus.

§. 2. Visum est operæ pretium ἐκκλησιαστικῶς hæc, & similia, à nostra doctrina, Ecclesia, & Doctoribus amoliri, cum occasio non una, sed plures hætenus datæ fuerint id faciendi. Faxit DEUS ut feliciter illud præstemus.

Wendelinus
advcrsarius.

§. 3. Res autem nobis erit non cum omnibus huic sententiæ addictis; utpote quibus jam satisfactum fuerit à nostris. Et quidem Calvino, Bullingero, Bezæ, Danao, Bucano, Sohnio, Piscatori, Ursino, Perkinso, Zanchio, Scarpio, Eilsheimio, Massonio, Marpurgensibus, Wezelio, Appelio: à Theologis Darmstattinis fundam. deduct. c. VII. §. 18. f. 472. seqq. Chamierum verò, Walæum, Ludovicum Crocium, Andream Rivetum, Henricum Altingium homomoria Dannhavveriana phant. VI. pag. p. 1338. notavit, & confutavit, pag. 1352. seqq. sed res nobis erit cum uno aliquo, qui post reliquos scripsit, & novis coloribus suam, & suorum, sententiam fucare conatus est, nempe Marco Friderico Wendelino, Gymnassii Anhaltini Rectore quondam, ibidemque suæ Theologiæ & Philosophiæ Professore: Tribus ille in locis ex professo hanc controversiam ventilavit, nempe in *Theologia sic dictæ Christiana* lib. 1. cap. XXII. p. m. 352. §. III. Et *System. maj.* l. cit. p. m. 844. seqq. notis scilicet Theologiæ additis, & in *Exercitationibus Theologicis*, Exerc. LXXXV. §. 8. p. m. 1355. seqq. ubi semel jacta ab exceptionibus B. Dn. Gerhardi, & aliorum Theologorum Jenensium vindicare conatur.

§. 4. *Quaestionem*, seu statum controversiæ, in Theologia, & systemate Wendelinus ipse ita format: *An etiam mulieribus & Laicis, h. e. ijs, qui ad verbi ministerium vocati non sunt permissum sit, baptizare infantes?* Et respondet: *Nos negamus.* Secutus confessionem Helveticam posteriorem, cujus hæc sunt verba: *Docemus, Baptismum in Ecclesia non administrari debere à mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removit mulierculas ab officijs Ecclesiasticis. Baptismus autem pertinet ad officia Ecclesiastica.* Sect. XIII. p. m. 90. harm. Confes. Cui nos contrariam sententiam nostrorum Evangelicorum, adeoque & nostram, opponimus, quæ hæc est: *Nos affirmamus!* Secuti Agenda nostra Argentoratensis Ecclesiastica, §. Von dem Noth-Tauff; Ita enim verba sonant pag. 167. editionis recentioris, anno 1670. publica auctoritate vulgata: *Man soll zwar die Leuche vermahren / wann sie schwache Kindlein haben / die sie nicht zur Kirchen bringen können (dartzu sich aber ein jedes beflissen soll / damit das hochwürdige Sacrament des Tauffs mit gebührender Herrlichkeit gegeben / und empfangen werde) daß sie einen Diener der Kirchen in das Haus beruffen / und denselben ihre Kindlein / nach Ordnung der Kirchen / tauffen lassen. Wa dis aber auch nicht sein möchte / so soll man doch sehen / daß dem Kindlein / so viel möglich / der heilige Tauff durch einen gottsförchtigen Mann / und nicht durch Weiber / gegeben werde / wie dann die Männer / und nicht die Weiber / die heilige Sacramenta außzurheilen verordnet sind. Jedoch / wo man weder die Kinder zur Kirchen bringen / noch einen ordentlichen Diener der Kirchen / oder einen andern gottseligen Mann haben kan / so mag ein gottsförchtiges Weib / die Hebam / oder ein andere / das Kindlein nach der Einsagung Christi tauffen. Weil dann der Tauff / des H. Ern / und nicht des Dieners Werk ist / und im H. Exx weder Weib noch Mann / sondern alles eins ist / so sollen solche Kindlein / so von Weibern getauffet sind / gleichwohl nicht wieder getauffet werden / aber doch nichts desto weniger / wann sie erstarken / zu der Kirchen gebracht / und daselbst ihre Tauff der Gemeine verkündiget / und für sie / daß der H. Exx die neue Geburt / ihnen in dem Tauff mitgetheilet / immer stärker und kräftiger machen wolle / gebetten werden.*

Quaestio.

Sententia
nostra.

den. Dann der Tauff mit dem Wort und nach der Einfazung Christi gegeben/ein wahrer Tauff ist / von was Personen er auch gegeben seye. Wann dann ein solches schwaches Kindlein im Hause getauffet worden / solle es dem Pfarrer hernach fürderlich angezeigt werden / der auch die Person / welche das Kind also in der Noth getauffet / für sich ersordert / und sie mit fleiß befragen solle / 1. Ob sie auch den Nahmen des Herrn über solches Kindleins Tauff angeruffen? 2. Wamit sie getauffet habe? Nemblich mit Wasser. 3. Was für Wort sie zu dem Tauff gebraucher? Nemblich/ Ich tauffe dich im Namen GOTTes des Vatters / des Sohns / und des heiligen Geistes.

Distinctiones

§. 5. Ut autem status controversiæ plenior & illustrior fiat, distinctionibus aliquot eum dilucidabimus. *Questio est, (1.) de sacramento initiationis, Baptismo, non de sacramento confirmationis, Eucharistia, (2.) de casu necessitatis, non libertatis. (3.) loco privato, non publico. (4.) adeoque administratione privata, non publica. (5.) Observantia essentialium Baptismi actuum, non de neglectu, aut depravatione. (6.) de Laicis, non Ecclesiæ ministris, & quidem (7) de mulieribus, iisque Christianis, &, quoad fieri potest, orthodoxis, & probis. (8.) de actione & rata, & recta coram judicio divino. Ut adeo dilucidior controversiæ status hic sit: An Baptismus sacramentalis in casu necessitatis in loco privato, observatis actibus essentialibus seu formalibus, à Laico, & quidem femina Christiana administratus, sit coram judicio divino ratus, & rectus? Qua quæstione expedita, facilius erit responsio ad alteram: An talis baptismus sit reiterandus?*

Status controversiæ.

Sententia Wendelini.

Argum. I.

§. 6. Negativam istius tenet Wendelinus, ob sequentes rationes, quas in Theologia proponit, & repetit systema majus: I. Mulieribus non est permixtum in Ecclesia publicè docere, ergo nec sacramentum Baptismi administrare. Antecedens Pauli est, 1. Cor. XIV. vers. 34. & 1. Tim. II. vers. 11. Ratio consequentiæ est, quia publicè docere, & sacramenta administrare pertinent ad idem officium. Hæc ille, post confessionem Helveticam, cuius verba §. 3. allegavimus.

§. 7. Resp. I. Conclusionem hujus argumenti ambiguum esse; vel enim hic esse sensus potest: Ergo nec sacramentum Baptismi *publice* administrare; vel hic: E. nec sacramentum Baptismi *privatim* administrare. Si prius vult conclusio, laborat ignorantia Elenchi; Neque enim quæstio est: an *publicè* liceat administrare? sed: an *privatim*? si posterius, II. negamus in argumento majorem, quæ hæc foret: Cuicumque sexui non licet, seu permissum est, in Ecclesia *publicè* docere, eidem nec permissum est, *privatim* administrare Baptismum. Sicut enim N. C. sexui muliebri non est permissum docere *publicè*; E. nec *privatim*; cum unusquisque pater- & mater-familias liberos suos, & domesticos alios teneatur docere; quod de Loide, & Eunice palam est. Ita nec consequitur; Mulieribus non est permissum in Ecclesia publice docere (Baptismum administrare,) E. nec *privatim*. Nec III. *antecedens* ex allegatis dictis probatur. Nam 1. Cor. XIV. 34. jubet Apostolus *fœminas* facere *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* in Ecclesia, si vero discere voluerint, *ἐν ὀικῷ* *domi* proprios maritos interrogare; Locus igitur hic abludit à statu controversiæ, qui non est: An in Ecclesia Baptismum possint administrare? sed *an domi*? i. e. *privatim*, ubi & interrogare, & discere debent. Ex quo loco patet, quod nec alter ex 1. Tim. II. 11. 12. ad rem faciat. Apostolum nempe non permittere, ut fœmina doceat *ἐν ἐκκλησίαις* in Ecclesia; tanquam quæ auctoritatem publicam habeat; sicut nec domi debeat *ἀυθεντεῖν* *dominari*, & eminere marito, utpote capiti suo. Ita accipit & intelligit ipse Piscator in doctrinalibus ad l. cit. §. 8. dicens: Die Weiber sollen in der Predigt zuhören / aber nicht selbst predigen / scil. ibi, ubi debent conciones auscultare, quod fit in publico loco Ecclesiæ. Et §. 9. Weil den Weibern das Prediq. Ampt verboten / vers. 12. So gebühret ihnen auch nicht zu tauffen &c. Et Junius & Tremellius in notis ad l. cit. *primum argumentum, cur mulieribus IN ECCLESIA non licet DOCERE, quoniam hoc modo supra viros collocarentur, quorum videlicet essent MAGISTRÆ, quod repugnat Dei ordinationi.* Neque IV. *ratio consequentiæ* contrarium evincit. *Quia publicè docere, & sacramenta administrare, scilicet publicè, pertinent quidem ad idem officium publicum; sed ut privatim*

§. I.

II.

III.

1. Cor. XIV.

34

1. Tim. II. 11.

12.

IV.

tim

tim docere, ita & sacramentum administrare, ad idem officium privatum, quod est charitatis, refertur.

Arg. II.

§. 8. II. arg. *Fœminis & Laicis non est permissum cœnam Domini administrare. Ergo nec Baptismum administrare, permissum est. Antecedens concedunt adversarij. Ratio consequentia est, quia cui unum licet sacramentum administrare, eidem & alterum licet administrare; Et contra, cui unum non licet administrare, eidem nec alterum administrare fas est: Bz.*

Bz. I. ad maj.

I. ad majorem, quæ hæc est: Cuiusque non licet administrare S. Cœnam, eidem nec Baptismum administrare licet: eam, & totum argumentum, concedendo, si intelligatur de administratione Baptismi *publica*, quo sensu & hoc argumentum laboraret ignorantia Elenchi; cum non sit quæstio de administratione *publica*, sed *privata*; sin vero major intelligatur de administratione *privata*, eadem negatur; Ratio consequentia allegata nihili est, quia disparitas est in sacramentis, unum est initiationis, alterum confirmationis; istud est magis necessarium, quam hoc. Excipit Wendel. in Exercit. pag. 1369. (1.)

Except.

(1.)

non esse disparitatem rationem utriusque sacramenti quoad ministros legitimos. Non alijs mandatum Cœnae, alijs Baptismi administrationem. Quibus dixit Christus: hoc facite, iis quoque dixit: ite & baptizare eos &c. (2.) parem rationem & necessitatem esse utriusque sacramenti, quia tamen (tam) ad unum, quam ad alterum obligat præceptum Christi: Neque minus condemnat contemptus unius quam alterius; utri nec magis condemnat privatio unius, quam alterius. Quod de absoluta necessitate Baptismi dicitur, falsum esse; Neque agnoscere eam Lutheranos; quando non damnant eos, qui baptizari legitime non posuerunt. Sic ille in system. maj. p. 845. quæ latius deducit in Exercit. p. 1369. & 1370. nempe, non minus necessariam gratia conservationem, quam collationem; à neutro absolute & simpliciter pendere gratiam; multis Baptismum olim contrigisse sine spiritu & vera insertione: multos verè & spiritualiter inseri sine Baptismo, quicumque nulla sua culpa privantur Baptismo; quod de Cœna verissimum est. Qui dixit: nisi quis renatus fuerit &c. idem quoque dixit (Joh. VI.) nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam

(2.)

in vobis. Aquam fidem non efficere, sed per fidem esse efficacem, etiam de sententia Lutheranorum, quibus sacramenta sine fide nihil profunt, adeoque nec Baptismi aquam.

§. 9. 82. ad. 1. Non aliis quidem mandata est Cœnæ, aliis Baptismi, administratio *publica*; Quibus Christus dixit: *Hoc facite*; iis quoque dixit: *ite, & Baptizate publicè*; sed hinc N. C. Ergo quibus vetuit, sive baptizare, sive S. Cœnam administrare *publicè*, iisdem etiam vetuit *privatim* Baptismum administrare. Perinde dixeris: quibus Christus dixit: *hoc facite*; iisdem dixit: *diligite vos invicem*. Joh. XIII.

82. ad. 1.

34. At solis Ecclesiæ ministris dixit: *hoc facite*, E. solis etiam *diligite vos invicem*, dixit; quod absurdum. Baptismus *privatus* est interdum actus charitatis, non officii publici.

§. 10. 82. ad. 2. Non est par ratio & necessitas utriusque sacramenti, etiam quoad legitimos ministros; nisi *publicos* intelligas. Tum quidem est diversa ratio, cum Laici non sint ministri publici, sicut ordinarii illi; neque hoc in controversia est. Sin *privatos* intelligas, principium petitur; Hoc enim in quæstione est, & probandum, non supponendum. Non aliis quidem mandata est Cœnæ, aliis Baptismi administratio *publica*; Aliis tamen permessa est, & lege quidem charitatis etiam mandata, administratio Baptismi *privata*, quam S. Cœnæ; Quibus Christus dixit: *hoc facite*, iis quoque dixit, *ite, & docete, baptizantes eos &c. publicè*; Et sicut Christus dicendo, *ite, docete publicè*, non vetuit Laicis, etiam fœminis, doctrinam *privatam*; ita nec Baptismum *privatum*. Præceptum Christi, qua præceptum, & Christi quidem, qua DEI, & Prophetæ, præceptum est, obligat tam ad unum, quam ad alterum *publicè* peragendum; Nam in utroque præcepto de *publicis ministerii actibus* agitur; Neutrius quidem privatio damnabilis est, dispari tamen gradu. Potest quædam privatio esse affectata, ut apud Calvinianos, fœminis & aliis Laicis administrationem Baptismi *privatam* prohibentes; ea damnabilis quidem non est infanti privato, est tamen privantibus: Utriusque contemptus damnabilis est, sed alter altero itidem magis, damnabilior in Baptismo, quia contemnitur non solum præceptum DEI, sed etiam ordinarium re-

ad. 2.

generationis & salutis medium. Non minus quidem necessaria est gratiæ conservatio, quam collatio; media tamen quædam conservandi minus necessaria sunt, quam conferendi; Medium conservandæ gratiæ est S. Cœna quidem, sed non tam necessarium ad gratiæ conservationem, quam Baptismus ad collationem ejusdem: Nam præter S. Cœnam conservandi media etiam alia ordinaria sunt e. gr. verbum DEI preces &c. Præter Baptismum vero, vel verbum DEI, aqua sacramentaliter unitum, non est aliud pro infantibus ordinarium collationis instrumentum. *A neutro quidem absolute & simpliciter pendet gratia; Cum DEUS his mediis non si absolute & simpliciter alligatus; pendet tamen ratione nostræ ordinariè gratiæ à Baptismi collatione, & susceptione. Multi quidem Baptismus olim, & hætenus, contigit sine spirituali & vera insertione; Sed adulti illi erant, & suo vitio spirituali illa & vera insertione, sibi æquè ac aliis oblata, & conferenda, exciderunt. Neque hoc derogat virtuti Baptismali, nisi velimus dicere, virtutem sacramentorum in se pendere ex hominum usu, vel abusu, dignitate, vel indignitate: Multi quidem verè & spiritualiter inseruntur sine Baptismo, sed hinc N. C. Baptismum non habere vim inferendi: Inseruntur illi virtute verbi divini, quod etiam in Baptismo efficax est. Potest quis e. g. infans, nulla quidem sua culpa privari Baptismo, is tamen, qui privat eum, potest in culpa esse. Qui dixit Johan. III. nisi quis renatus fuerit &c. dixit quidem etiam hæc verba: Nisi ederitis carnem &c. Sed hæc verba non intellexit de manducatione & bibitione sacramentali, utpote tum nondum institutis; Sed de spirituali, quæ fit fide, etiam sine pane & vino sacramentalibus. Johan. VI. 40. 47. Aqua Baptismi fidem quidem in adultis non efficit, sed supponit; Attamen efficiendi eandem habet vim æquè in adultis, ac infantibus; Est quidem efficax per fidem; sed eam ipsam fidem, per quam efficax est, in infantibus efficit. Sacramenta sine fide nihil prosunt quidem, ita, ut immediate hominem justificent, & salvent; Efficiunt tamen in infantibus fidem, & mediante fide collata profunt ad justiciam, & salutem. Tit. III. 5. seq. sic igitur in sumos abeunt exceptiones Wendelinianæ ad argumenti secundi responsiones.*

§. 11. Resp. (2.) ad min. seu *Antecedens*, concedunt quidem nostri, quod Laicus, qua Laicus, non possit administrare S. Cœnam; potest tamen Laicus in casu necessitatis accipere vocationem ab Ecclesiola ad administrationem etiam S. Cœnæ, & eam peragere, non qua merè Laicus, sed qua Ecclesiæ minister. vide Consilium Tilem. Heshusii Bidemb. conf. dec. III. 5.

R. 2. ad
antec.

§. 12. III, argum. *Mulieres & Laici non sunt legitime vocati ad administrationem sacramenti. Ergo administrare ipsis non licet. Antecedens patet, quia nec à DEO immediate sunt vocati, nec mediate per magistratum ex DEI iussu.* Resp. Vocatio duplex est, alia generalis, alia specialis; Ista est charitatis, hæc officii specialis 1. Thessal. IV. 7. 1. Petr. III. 10. seqq. Actor. XIII. 2. seqq. Ista homo vocatur ad quævis officia humanitatis, in casu saltem necessitatis præstanda, quousque verbo divino, & bono ordini non derogatur; adeoque etiam fœminæ ad Baptismum administrandum; quandoquidem hætenus argumentum nullum adductum est ex verbo DEI, quo probaretur, adversari illum verbo DEI, & bono ordini. Vocatio ad hæc non quidem est *immediate* à DEO, est tamen mediate, mediante nimirum non Magistratu solo, sed etiam reliqua Ecclesia nostra Evangelica, quæ tali administrationi non solum non contradicit, sed etiam sese submittit, & propositis argumentis per Doctores suos eandem defendit. Exclamat quidem Wendelinus: *Egregia scilicet vocatio Laicorum & fœminarum! Unde ius vocationis hujus Ecclesia Pontificiorum & Lutheranorum habet? Non de quavis, sed de legitima, DEIque verbo consona, vocatione sermo est. Aut forte quavis, à quacunque Ecclesia, ad quodvis officium vocatio est legitima?* R. Egregia est vocatio, quæ fit ab Ecclesia, Christi sponsa, & œconomia mysteriorum divinatorum, donec egregiam non esse probetur. Jus hujus vocationis Ecclesia Lutheranorum habet à Sponso suo Christo, qui ipsi claves commisit, & potestatem vocandi vocatione, aliorum ad publicum, aliorum ad privata officia, concessit. Neque nos de *quavis*, sed de *legitima*, DEIque verbo consona vocatione sermocinamur; Et talem esse statuimus vocationem charitatis, quæ eousque extenditur, quousque per

Arg. III.

R.

DEI verbum ei limites nulli figuntur. Nec propterea *quævis*, à *quacunq̃* Ecclesia, ad quodvis officium facta, vocatio, statuitur legitima, si ea vocatio, quæ fit ab Ecclesia Orthodoxa ad Baptisimum, à fœmina administrandum, legitima statuitur; quia aliqua datur vocatio *legitima*, à qua ad illegitimam non valet consequentia; datur etiam aliqua *Orthodoxa* Ecclesia, cui licet, quod heterodoxæ non licet; datur officium charitatis, idque privatum, quod cum publico, vel heterogeneo, confundendum non est.

Argum. IV.

§. 13. IV. argum. *Nulla est necessitas, quæ cogit ad mulierum vel laicorum Baptisimum suscipiendum: Ergo Baptismus iste non est permittendus. Antecedens probatur (1.) quia bapismus Mulierum & Laicorum non nititur mandato divino. (2.) quia beneficium regenerationis non est alligatum Baptismo externo, quippe quod etiam ante vel post Baptisimum per Spiritum sanctum confertur.* Resp. 1. Major, quæ hæc est:

Bl. 1.

2.

3.

Quidquid non est necessarium necessitate vel mandati, vel medii, id non est permittendum; non est simpliciter vera: Nam adiaphora, in libertate Christiana constituta, non sunt necessaria necessitate vel mandati, vel medii, & tamen sunt permittenda. 1. Cor. IX 5. 2. Limitatur: quidquid non est necessarium necessitate mandati neque generalis, neque specialis, neque medii ordinarii, id non est permittendum tanquam necessarium; ita quidem limitata major conceditur; sed negatur minor. 3. Ad probationem *antecedentis*, seu minoris Resp. (1.) non quidem nititur mandato divino *speciali*, sicut nititur Baptismus ab ordinario ministerio administrandus; nititur tamen mandato divino *generali*, quo DEUS iussit Baptisimum administrari etiam infantibus, non expresso alterutro sexu, adeoque nec fœminino in casu necessitatis excluso. Quod Christus Matth. XIX. 14. discipulus dixit, *Sinite parvulos ad me venire, nec prohibete; Talium enim est regnum Cœlorum;* idem dixit etiam fœminis; & sicut illud mandatum non solum est negativum, de non arcendis infantibus; sed etiam positivum, ut promoveantur infantes, ita ut ad Christum veniant; Sic mandatum de Baptismo non solum est negativum, ut mulieres non arceant infantes à Baptismo, sed etiam positivum,

tivum, ut promoveant ad Baptismum, quod est medium per-
 ventendi ad Christum. Ad (2.) rationem, in argumentum
 redactam: Quidquid alicui rei non est alligatum, id non est
 necessarium: beneficium regenerationis non est alligatum Ba-
 ptismo externo. E beneficium regenerationis non est ne-
 cessarium. Resp. 1. ad *majorem*, aut exclusivè illa, aut inclu-
 sive est intelligenda. Si *exclusivè* intelligatur, ut intelligen-
 da esse videtur per verba adjuncta, quippe quod etiam ante vel
 post baptismum per Spiritum sanctum confertur, ea negatur, &
 pluribus instantius infringitur; e.g. gratia divina non erat alligata
 soli circumcissioni in V. Test. quippe quod ante, & post,
 circumcissionem Israëlitis, in deserto per 40. annos sine cir-
 cumcissione oberrantibus, Jos. V. 5. gratia regenerationis per
 Spiritum sanctum & verbum fuerit collata; Ergone gratia re-
 generationis propterea non fuit alligata circumcissioni? pote-
 stas prædicandi verbi & ministrandorum sacramentorum
 non fuit in Vet. Test. alligata vocationi mediata, & externa;
 Nam dabatur etiam per vocationem immediatam; Ergone
 propterea plane non fuit alligata vocationi mediata, & exter-
 na? Sin inclusivè intelligatur, Resp. 2. ad *minorem*, negan-
 do. Si, ut in majore, de alligatione *ordinaria* illa intelligen-
 tur: Potest enim aliquod DEI beneficium alligatum esse or-
 dinarie alicui actui, vel medio; Et tamen etiam *extraordina-
 ria* DEI actione & voluntate conferri, ex. gr. Beneficium re-
 generationis ordinarie alligatum est Baptismo. Johan. III. 5.
 Tit. III. 5. illud ipsum tamen extraordinario DEI beneficio
 potest alicui homini immediatè conferri. Imo potest aliquod
 DEI beneficium pluribus distinctis mediis esse alligatum ordi-
 nariè, e.g. confirmatio fidei, ejusque justitiæ, alligata fuit,
 & ordinariè quidem, in Vet. Test. circumcissioni, & agno pas-
 schali; in Nov. Test. Baptismo & Eucharistiæ: Quare absurdus
 esset, si quis ideo, quod per agnum paschalem, in Vet.
 Test. & per Eucharistiam in Nov. Test. fides fuerit confirmata,
 vellet negare, eandem neque per circumcissionem, neque per
 Baptismum confirmatam fuisse, aut confirmari.

§. 14. Suspecta autem est phrasîs: *Externo Baptismo.*
 Etiam si enim etiam orthodoxo sensu possit intelligi, prout de-

notat Baptismum fluminis ; per alteram sui partem , aquam , in oculos incurrentem ; distinctum à Baptismo fluminis , quatenus ille sine aqua perficitur. Actor. I. 5. Attamen Calviniani alio sensu intelligunt , nempe de baptismo , quò sit sola aqua , adeoque solum externus est , quod materiam suam atinet , non simul internus , secundum materiam cœlestem , quæ est Spiritus sanctus , sacramentaliter cum aqua conjunctus , ita ut etiam super hypocritas & reprobos in baptismo ille effundatur , & efficax esse velit , perinde ut in electis , quoad antecedentem DEI voluntatem. Notati sunt eo nomine Calviniani à nostris , ut Beza in Colloquio Mompelgardensi , à Jacobo Andrea ; & Wendelinus à Theologis Jenensibus , sicut ipse Exerc. LXXXV. §. 27. pag. 1364. & 1365. meminit , & verba Bezæ , distinctionem istam suam probaturis , adducit , suamque defensionem pluribus verbis , iisque aculeatis adversus Jenenses addit ; summa huc redit , se per externum Baptismum intelligere materiam baptismi externam , cui interna opponitur ; eo sensu , quo scriptura distinguit inter circumcisionem internam & externam , præputium cordis & carnis , Levit. XXVI. 41. 42. Rom. II. 28. &c. vel , quæ Bezæ explicatio est , homo distinguitur in animam & corpus , qui tamen unus homo est ; perinde Baptismum constare *ex actione hominis externa , qua sit baptismus externus ; & interna spiritus , qua sit Baptismus internus.* Quæ vero due actiones , explicante Bezam suum Wendelino , Gravverum vellicante , *ita comparatae sunt , ut separari à se invicem possint , & in multâ separentur.* Verum metæ hæ sunt nebulæ , quibus veritatem obscurare Calviniani nituntur. *Non est questio* , an unius ejusdemque univocè sic dicti Baptismi materia alia sit externa , aqua ; & alia interna , Spiritus sanctus , sanguis Christi &c. ? neque , an Baptismus denominari possit modo à terrena sui materia , externus ; modo ab interna , internus , ratione effectus & fructus , qui in hypocritis nullus est , utpote Spiritum sanctum , sibi oblatum , fructuose non accipientibus ? *Sed hæc est questio* : An una eademque sit actio DEI & ministri baptizantis , per quam æquè materia interna seu cœlestis , ac externa seu terrestri offeratur , & conferatur baptizatis quibusvis , sive sint

ἄσκατοι sive ἄτακτοι, sive sinceri, sive hypocritæ, sive electi, sive reprobi, sive remissionem peccatorum, regenerationem, salvationem consequantur, sive non? Juxta Calvinianorum sententiam ἄτακτοι, hypocritæ, reprobi accipiunt solum *externum* Baptismum per aquam, quæ sola in ipsos effunditur; non *internum*, per Spiritum sanctum, qui in ipsos non effundatur; adeoque solus minister operatur effundendo aquas, non DEUS, ut dispensator interni, in solis electis operosi. Atque hoc ipsum est, quod Wendelinus ipse dissimulare non potuit, cum ait, ita *comparatas esse has duas actiones, ut separari à se invicem possint, & in multis separentur.* Loquitur autem de mente & verbis Bezzæ, qui distinxerat inter actionem hominis externam, & Spiritus sancti internam; Hinc sequitur, fieri posse, & actu ipso fieri, ut minister baptizet aqua, DEUS vero per ministrum non baptizet Spiritu sancto, super baptismatum effuso.

§. 15. Ubi vero ex B. Gravvero repetimus distinctionem inter causam *instrumentalem*, & eius *effectum*; Baptismus, & in specie, effusio, vel aspersio aquæ sacramentalis, est *caussa instrumentalis* remissionis peccatorum, regenerationis &c. remissio vero peccatorum, regeneratio &c. sunt *effectus*, & *fructus* Baptismi, à Baptismo distincti, & separabiles; cum quibus non est confundendus actus Baptismi formalis, nempe effusio aquæ & Spiritus sancti, & aquæ sacramentaliter uniti, & unam adæquatam Baptismi materiam cum aqua constituentis; Hic actus, utpote formalis, & essentialis Baptismo, ab illo tam non est separabilis, ac separabilis non est ab homine sua anima rationalis, ita ut tamen ille homo verus maneat. Hæc invicem confundunt Calviniani, ut statum controversiæ involvant, & obsecrent, quidquid denique Gravvero nostro obmurmuret Wendelinus. Negat Wendelinus, Bezam *ablutionem sordium anime*, ut est commune ἀποτέλεσμα Spiritus sancti, & ministri, baptizantium, constituisse alteram Baptismi *partem*; cum potius intellexerit *actionem Spiritus DEI*, à *ministri externa actione*, etiam secundum Lutheranos nonnullos, *distinctionem, quæ non sit effectus Baptismi, tanquam cause instrumentalis, sed causam principalem apotelesmatis, quod nomine ablutionis sordium*

sordium animæ quoque venit. Resp. Ablutio sordium animæ alia quidem est *activa*, nempe ex parte Spiritus sancti abluentis; alia *passiva*, ex parte hominis recipientis, habetque distinctio fundamentum in terminis à quo, & ad quem. Sed *activa* illa iterum distinguenda est, vel enim denotat actionem DEI abluere *volentis*, vel actu ipso *abluentis*; In hypocritis DEUS sordes animæ abluere quidem *vult*, & paratus est, secundum suam voluntatem antecedentem; sed revera, & actu secundo, non *abluit*, secundum voluntatem suam consequentem, eo quod hypocrita gratiæ divini obicem ponat, quo minus anima sua à sordibus peccatorum re ipsa liberetur. In iis vero, qui DEO obicem non opponunt, Spiritus sanctus sordes animæ non solum *vult* abluere, sed etiam *actu ipso* abluit, & tunc actio DEI abluentis, & passio hominis abluti, indiviso nexu coherent, nec alterum sine altero esse potest. Atque hoc posterius vult Beza, & omnes Calviniani, cum de interno Baptismo loquuntur; Et revera confundunt effectum cum causâ, sive instrumentali, sive formali, cum negant hypocritas, & reprobos, internum Baptismum accipere, quia fructum baptismi non accipiunt, nempe remissionem peccatorum, regenerationem &c.

Arg. V.

§ 16. V. Argumentum desumptum est ex antiquitate. Ita enim Wendelinus: *Testatur Epiphanius, γυναικὸς βάπτισμα esse Marcionitarum Hereticorum, non Christianorum orthodoxorum.* Locum verò, ubi Epiphanius id testetur, & verba ipsius, non allegat. In Systemate autem p. 845, citat hæres. 79. & verba: *ne diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico ordine sacramentum perficere, concedi, sed hoc duntaxat, ut eorum, quæ perficiuntur, ministri sint.* Idem docet Isidorus Hispalensis lib. 11. de offic. Eccles. c. 24.. Addi posset Hæresis XLII. f. m. 145. (136) ubi hæc leguntur de Marcionitis verba: *δίδωσι καὶ ἐπιτροπὴν γυναιξί, βάπτισμα δίδωσι:* dant etiam permissionem mulieribus administrandi Baptismum. Sed laborat argumentum ignorantia elenchi; quippe quod quæstio non sit: An mulieribus permittenda sit facultas publice baptizandi? id quod Marcionitæ statuebant; sed, an *privatim*? Loqui autem Epiphanium de administratione *publica*, patet ex verbis sequentibus: in quibus

quibus rationem reddit, cur improbet istum Marcionitarum
 γυναικοβαπισμὸν, παρ' αὐτοῖς γὰρ πάντα χλεις ἔμπλα, καὶ
 ἔδεν' ἔσθρον, ὅπως καὶ τὰ μυστήρια ἐνώπιον κατήχημένων ἐπιτελεῖν Ἰου-
 μῶσιν. *Apud ipsos enim omnia ludibrij plena sunt, & nihil aliud; quando quidem & sacramenta coram catechumenis perficere audeant.* Publica erat administratio sacramentorum, à
 qua arcebantur Catechumeni, quare Marcionitæ ad conspe-
 ctum publicæ sacramentorum administrationis admittebant
 Catechumenos, & ita in ritum illum Ecclesiasticum impia-
 gebant, etiam in eo, quod concederent fæminis facultatem
 publicè Baptismum administrandi in præsentia nempe Cate-
 chumenorum. Clarius patet ex Hæres. LXXIX. sic enim ibi
 loquitur: *εἰ ἰερατεύειν γυναῖκες θεῷ προστάσσοντο, ἢ κανονικὸν τι ἐρ-
 γάζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, ἔδει μᾶλλον αὐτὴν τὴν Μαρίαν ἰσραελίαν ἐπι-
 τελέσαι ἐν καινῇ διαθήκῃ &c. si sacra Deo administrare mulieres or-
 dinata essent, aut canonicum quid operari in Ecclesia; oportebat maximè ipsam Mariam sacro officio defungi in novo testamen-
 to.* Sic ille adversus Collyridianas mulieres, quæ instar Quintillæ,
 Maximillæ, & Priscæ, Montanisticarum mulierum, publicum cul-
 tum Mariæ deferebant, die quadam illustri per aliquot dies pa-
 nem proponentes & offerentes in nomen Mariae. Confirmat ar-
 gumento alio, desumpto à Diaconis: *ὡς γὰρ ἔτε διακονοῖ ἐν τῷ
 ἐκκλησιαστικῷ ἰσχύει ἐπιστεύθησάν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον
 διακονεῖν τὰ ἐπιτελέμενα.* Siquidem enim neque Diaconis in Ec-
 clesiastico ordine concreditum est sacramenta administrare, sed
 solum ministrare administratis. Manifeste hæc loquuntur de
 administratione ordinaria, & publica, & rectè concludunt
 adversus mulierum administrationem ordinariam, & publi-
 cam, h. m. Diaconis non licet publicè sacramenta admini-
 strare, E. nec mulieribus. Male vero, si ita: Diaconis non
 licet publicè sacramenta administrare, E. Mulieribus non li-
 cet privatim. Nec responderet dictis Apostoli, quæ paulo ante
 allegaverat Epiphanius, dicens; *neque permittis divina scri-
 ptura mulieri ἐν ἐκκλησίᾳ λαλεῖν, in Ecclesia loqui, respiciens*
 ad I. Cor. XIV. 34. I. Tim. II. 11. sicut respondet eis, si de
 publica administratione sermo est.

§. 17. Licebat autem Diaconis quoque Baptismum administrare. Nam Hieronymus meminit aliquorum, qui in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt. advers. Lucif. t. III. fol. 61. 63. idque confirmat exemplo Philippi Diaconi, qui Eunuchum baptizavit. Act. VIII. 34. Ibidem ait: *Frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere (baptizare) Laicis.* Nimirum erat ordo in sacramentorum administratione, ut præsente Episcopo non administraret Presbyter, & Presbytero præsente nec Diaconus. Ita quoque ordo observetur hodie in Baptismo, ut præsente aliquo presbytero vel Diacono mulieres illum non dispensent.

§ 18. Instat Systema: *Τὸν ἀνομιανισμὸν* tanquam παρρηγορον & ἀσεβῆς legi adversum & impium damnant Constitutiones Apostolicae, quæ Clementi Romano tribuuntur lib. III. cap. 9. Terullianus de velandis virginibus cap. 9. non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem vendicare. Vide quoque Epiphani. t. II. lib. 3. contra hares. 79. Concilium Carthaginense cap. 100. de mulieribus sine ulla exceptione sancit, ne baptizare omnino presument. Omnia extra oleas vagantur, dum abludunt à statu controversiæ. Nam Constitutiones Apostolicæ loquuntur de officio publico, & ordinario, interrogando: *si in præcedentibus docere eas (mulieres) non permittimus, quomodo quis eas præter naturam sacra facere concedat?* In præcedentibus autem c. 6. publice eas docere noluerat; dicens: *Non permittimus mulieres in Ecclesia docere, sed tantum orare, & magistros audire.* Præterea cap. 9. notat Græcos, seu Ethnicos, qui fœminis deabus sacrificulas instituebant, quæ sacrificulæ erant publicæ, & ordinariæ Dearum ministræ. Terullianus seipse explicat, nolens fœminas in Ecclesia loqui, docere, & sacerdotale officium celebrare. Ad Epiphanium jam respondimus. Concilium Carthaginense quotum fuerit, Wendelinus non dicit; Fuit autem quartum; Nam ejus canon C hic est: *Mulier baptizare non presumat; quod quidem sine exceptione loquitur, sed non sine limitatione intelligendum est.* Id quod colligas ex canone XCIX, qui hic est: *Mulier quamvis docta & Sancta, viros in conventu docere non presumat.*

Perinde igitur nec in *Conventu*, seu publicè baptizare præsumat, de quo vero inter nos quæstio non est.

§ 19. Hactenus responsum est ad argumenta Wendelini, *γυναίκοβαπτισμῶν* opposita: sequitur ut vindicemus argumenta nostratium pro isto baptismo à Wendelino proposita, & vellicata. Sunt autem hæc: 1. *Olim circumcisio à mulieribus quoque fuit administrata, ut à Zippora, Mosis uxore, Exod. IV. 25. Et à Mulieribus Maccabaï. 1. Maccab. 1. 63. nec Deo improbata. Ergo nec Baptismus à mulieribus, in casu necessitatis, administratus, Deo improbatur.* Ad hoc argumentum respondet Wend. (1) negando antecedens; Factum enim à scriptura non probari, sed recitari tantum; fieri potuisse, ut Deo factum non quidem plane improbaretur, attamen mulierum, *falce in alienam messem mittentium, curiositas & intempestiva sollicitudo displiceret.* (2.) negando consequentiam; Cum alia sit ratio circumcisionis, alia Baptismi, istius non æque, ac hujus, ad publicum ministerium alligatæ; sicut alia ratio fuit etiam paschatis, & S. Cœnæ, quod libertatem, vel necessitatem attinget.

Argg nost
Et
Vindiciz.
(1.)

§ 20. Resp. ad I. probatum fuisse factum, patet ex effectu consequente; facta enim Circumcisione Angelus Mosen dimisit incolumem. Regerit Wend. ex suo Calvino, Deum pepercisse etiam Samaritis, adducto sacerdote, qui ipsos cultum Mosaicum doceret; neque tamen cultum istum Deo placuisse. 2. Reg. XVII. 25. seqq. quare N. C. pepercit. E. probavit. Resp. Sacerdos, ex Assyria reductus Samariam, docuit colonos *יהוה אתה יהוה אלהיך* quomodo timeant lebovam *ψ. 28. Et ipsi יהוה יהוה אלהיך יהוה אלהיך* *ψ. 32. 33. 41.* timentes erant lebova, nempe secundaum sacerdotis istius doctrinam. Timor in scriptura sacra sæpe denotat pietatem seu totum Dei cultum, explicante Ravanello, & probante ex 2. Chron. XXVI. 5. Job. VI. 14. Psalm. XIX. 10. XXXIV. 12. Ies. XXIX. 13. coll. cum Matth. XV. 19. &c. Et timere accipitur pro apprehendere seu agnoscere Deum tanquam supremum omnium Dominum, & benignissimum patrem, eoque respectu moveri ad reverendum eum, & vitare offensionem ejus, Eodem

q. ad I.

explicante, & probante subjectis pluribus scripturæ dictis. Hoc modo si *timeri Deum* docuit sacerdos iste, recte docuit; Et doctrina illa ipsius fuit à Deo probata; Et parcitum est propter istam doctrinam incolis; Ita enim solet Deus gratiam facere regioni vel hominibus propter suum verbum, quod inter ipsos prædicatur, & alicubi etiam fructificat; Etsi non probata fuerit mixtura illa Ethnicismi & electitiorum cultuum; Libenter igitur damus, *non è cultus merito, sed ex iudicis misericordia condonata vel ablatam fuisse pœnam*; Neque etiam è circumcisionis merito, sed ex iudicis *miseriordia* condonata fuisse Mosi vitam, postquam uxor filium circumcidisset; Nam & illud est misericordiæ divinæ opus, & beneficium, quod per verbum suum & sacramenta dispensat. *Si fieri potuit, ut Deo factum non plane improbaretur*, quod Wendelinus nobis dat, sequitur, quod Zippora id fecerit non plane absque Dei mandato, & promisso; neque enim non potest non improbare Deus factum, cuius ipse nullatenus auctor est. *Esto facti alicuius in se considerati probationem non illico arguere, & inferre omnium circumstantiarum approbationem*, quod attexit Wendelinus; manet tamen hoc, quod factum istud Zipporæ in se consideratum à Deo fuerit probatum; Etsi non probata fuerint *omnes circumstantia*, quippe quas nec nos omnes approbamus, ut non probamus istam mulieris cunctationem antegressam, & indignationem consecutam. Mulierem istam *falcem misisse in alienam messem, & solitudinem ipsius fuisse intempestivam*, eandemque fuisse *curiosam* in facto, quod putat Wendelinus, id vero est principium petere, cum probatur ex eo, quod *fœmina sumpsit officium fœminis à Deo non demandatum*; Et sibi ipsi contradicere, cum datum sit supra, factum à Deo non plane fuisse improbatum. Deus induxit eam ad hoc faciendum, objecto isto periculo, & creato inde metu in corde uxoris & matris; Ita enim amat Deus immorigeros ad officium & ordinem revocare, ut lex est pædagogus ad christum. *Si Deus ratam habuit circumcisionem ab irata & curiosa fœmina administratam, quanto magis eam, qua à pia fœmina peragitur?* Esto igitur, Zipporam fœminam fuisse *impatientem, iratam, affectuque incompósito agitatam*, arguente ipsam

Exerc. 35. P.
1357.

ipsam Wendelino; Deumque illam ipsius impatientiam, iram, affectumque incompositum improbasse; tales tamen non sunt *piæ* fœminæ inter Christianos, nec habebit Deus, quod in ipsis improbet, si infantes baptizent. *Maximum Judæis scandalum prabisset Moses*, nisi filio legitimè circumciso, etiam à muliere, quod de tanto viro, jam divinitus vocato, & auctorato in ducem populi, non est præsumendum. Si licuit *privatis* inter Judæos circumcisionem peragere, cur non & fœminis? Nuppiam Deus facultatem circumcidendi restrinxisse legitur ad solos masculos, & ab illa exclusisse sexum fœmininum; quare sexui fœminino manet ea facultas, donec exclusus fuisse probetur. De *mulieribus Maccabaicis* omnino constat, quod ipsæ circumciderint infantes suos, quamdiu literæ inhæremus, quæ est: *Καὶ τὰς γυναῖκας τὰς περιετέμνωσας τὰ τέκνα αὐτῶν* &c. *Et mulieres, quæ circumciderant liberos suos* &c. Mac. I. 68. ab hac litera ut recedamus nulla nos urget necessitas.

§. 21. R. ad. II. Quis fuerit ordinarius circumcisionis minister, patet ex ejus institutione, & executione. Deus cum Abrahamo locutus est, cum sacramentum illud institueret, & Abrahamus executus est illud Dei mandatum, circumcidendo filium suum, & domesticos suos. Gen. XVII. 23. tanquam primogenitus. Gen. XI. 26. penes quem erat jus factorum, cap. XLIX. 3. adeoque jus etiam sacramentorum administrandum, ut erat etiam circumcisio. Rom. IV. 11. Et tanquam propheta, XX. 7. qui verbum Dei publice prædicabat, & sacrificia offerebat, structis hinc inde altaribus. Gen. XII. 8. XIII. 4. XXII. 2. seqq. *Regerit* Wend. quæstionem hanc esse: an penes eos *solos*, quibus injunctum fuerat publicè docere, & sacrificare, ex ordinatione divina sacramentorum fuerit administratio? quod ipse negat, nullo ejus exstante testimonio, imo contrario Exod. XII. & alibi. Circumcisionem fuisse Abrahamo demandatam non qua *propheta*, sed qua *confæderato*, nec ut sua ipse manu perageret, saltem apud omnes domesticos, utpote quod *grandævus* ille, & *uno die* res peracta fuerit. Gen. XVII. 10. seqq. Hæc ille. R. Quibus commissum est solis ordinarius officium docendi & sacrificandi, usdem, & solis quidem, commissum est etiam officium ordinarium administrandi sacramenta publicè: sunt enim Ecclesiæ ministri *οἰκονόμοι μυστηρίων θεῶν*, I. Cor. IV. 1. *dispensatores mysterio-*

Exerc. 85. P.
1358.

rum divinorū. Neq; *praxis Ecclesie Iudaica reclamatur*, utpote quod Exod. XII. 3. mactatio agni paschalis demandata fuerit singulis patribus familias, qui ante segregatam tribum Leviticam in domibus suis sacerdotum officio fungebantur. Postquam vero tribus Levitica fuerat destinata ad officium publicum verbi & sacramentorum, mactatio agni paschalis penes ipsam ordinariè erat, quod patet ex 2. Chron. XXXV. 6. seqq. Josias enim, rex pientissimus, *Leviti* v. 3. dixit : שחטו הפסח *mactate pascha*, seu agnos paschales, & *sanctificate vos*; id quod etiam fecerunt : וישחטו הפסח *Et mactarunt pascha*, v. II. ויבשלו הפסח, & *assarunt pascha*, v. 13. idque pro communi populo non minus ac pro sacerdotibus, & semet-ipsis : Omnia juxta Dei institutum, & mandatum; Erat enim יהיה כל עבודה יהוה *omne illud servitium Dei*, v. 16. qui mandatis hominum frustra colitur, colitur autem rite suismet præceptis. Quod *Abrahamum* attinet, si circumcisio ei non fuit commissa quia propheta fuit, sequitur quod circumcisio non pertineat ad officium Propheticum, quod forte ipse Wendelinus non dixerit, qui paulo ante concesserat, *Quibus publicè docendi atque sacrificandi munus injunctum fuit, iisdem administrare quoque sacramenta licuisse*. Et, si ideo mandata, quia *foedus cum ipso & omnibus ejus posteris injit Dominus*; sequitur, etiam *fœminis* mandatum esse, quia & hæ sunt ex posteris Abrahami, cum quibus fœdus injit Dominus, Abrahamus, nec alius, legitur circumcidisse carnem præputij sui, & suorum. Gen. XVII. 23, 24. à qua litera abire non cogit numerus circumcisorum; maximè, si diem sumamus pro tempore, quo isthæc facta sunt, constante ex pluribus diebus sive naturalibus, sive artificialibus, ut sæpe vocabulum sumitur, vid. Glaf. phil. sacr. Rhet. §. 464.

Arg. II.

§. 22. II. Argumentum nostrorum Wendeliniana Theologia ita proponit: *Mulieres olim in V. T. docendi ministerium publicum obierunt. E. & sacramentum Baptismi jam in N. T. possunt administrare. Antecedens patet ex exemplis Debora, Hulda, Hanna. Sed non meminit, qui sint illi nostrorum, à quibus hoc argumentum proponatur; Quare ipse auctor fue-*

tit ipsius, isque in rem suam, qui *vestem hanc nimis pellucidam*, ut ipse vocat, confarcinavit, palliumque aptavit, quod *imbecillitatem & fraudem Wendelinianam* male tegeret. Audiamus igitur nostros Jenenses causam suam melius defendentes hoc argumento: *Quicumque possunt & debent Ecclesiam, ordinario ministerio destitutam, itemque domesticos, & alios, sive sanos, sive aegros, informare, & consolari: illi etiam possunt & debent summa id flagitante necessitate, administrare Baptismum; Atqui omnes p̄j (Laici & fœmina) hoc debent prestare. E. Major probatur, quia ubi eadem est ratio, ibi idem est jus: Atqui eadem est ratio inter doctrinam & administrationem Baptismi; E. Minor inde, quia omnes p̄j vocantur regale sacerdotium Apoc. I. 6. V. 10. facti coram DEO reges & sacerdotes. Accedunt exempla fœminarum piarum, Debora Iud. IV. Hulda 2. Reg. XXI. 14. Hanna, Luc. II. 36. Priscilla Rom. XVI. 3. Loidis & Funica: 2. Tim. I. 3. seq. Ita proponit nostrorum argumentum Exercitator, p. 1360.*

§. 23. Ad prius argumentum duo reponit Theologia Wendeliniana I. Fœminis in Nov. Test. in Ecclesia docere, adeoque & sacramenta administrare, non esse permissum. I. Cor. XIV. 34. I. Tim. II. 11. (2.) Mulieres in Vet. Test. habuisse immediatam à DEO vocationem, qua destituantur in Nov. Test. Resp. ad I. Sicut argumentum nomine nostrorum male propositum abludit à statu controversiæ, ita etiam responsio Wendelini; Neque enim est quæstio: an fœminis competat administratio Baptismi *publica*? quod nos æque, ac Calviniani negamus; Sed an competat *privata*? Allegata vero dicta loquuntur de officio *publico*, non *privato*, ut supra evictum est. Ad (2.) Resp. quod exempla Prophetissarum in Vet. Test. saltem hoc probent, quod à fœminino sexu minimū non abhorreat sacra tractare; quodque deficientibus ordinariis, sive politiæ, sive Ecclesiæ ministris, fœminæ quoque in locum vacuum succedere possint; ipso DEO eas excitante, & auctorante. In Nov. Test. gratia amplificata est, ut ex Joel. II. 28. probat Petrus, Actor. II. 17. seqq. non quidem ita, ut in ipsum suggestum publicum sequior sexus eveheretur, ut evicimus non ita pridem peculiari dissertazione ad Joel. II. & Act. II. 17. seqq.

I.

2.
vindic.

I.

2.

segg. attamen luce Evangelii perfusus aptus redderetur, qui etiam alios, aliasque, privatim institueret, inter quas fœminas fuit etiam Priscilla Pauli Apostoli *σύνεργος & cooperatrix in Christo IESU*. Rom. XVI. 3. Lois & Eunice, Timothei à puero informatrices. 2. Tim. I. 5. segg.

2. ad. II.

- §. 24. In responsione ad alterum Nostrorum argumentum copiosior est exercitator, dum ad exceptiones nostrorum, quas ipse adducit, respondere conatur. Nos, ut ordine procedamus, expendamus quid ad ipsum argumentum, ejusque probationes regerat. Regerit autem (1.) ad *maïorem*, ejusque probationem, quod *dispar sit ratio inter consolationem*, utpote *actionem privatam*, & inter sacramentorum administrationem, utpote *actionem publicam*; quarum ista *utrique sexui*; hæc solis Ecclesiæ *ministrum* competat; sicut & cœnæ administratio. (2.) Ad *minorem*, eam concedendo, nempe *privatam institutionem & consolationem fœminis non esse prohibitam*, sicut est *publicum docendi*, adeoque & *sacramenta administrandi*, officium à Paulo, loc. cit. prohibitum, Quod vero exempla allegata attineat, *disparem esse rationem inter fœminas prophetissas in V. T. & fœminas in Nov. Test.*, illas *immediate vocatas*, has minime: *à piorum omnium dignitate regali & sacerdotali publicum docendi ministerium Laicis & fœminis asseri non posse.*

vind. ad. I.

§. 25. Resp. ad I. Quod *dispar sit ratio inter consolationem & Baptismi privatam administrationem*, Wendelinus quidem dicit, sed non probat. Nam quod supponit, sacramenti administrationem esse *actionem publicam*; vel principium petit; vel ignorantiam elenchi committit; istud, dum rationis loco adducit, quod in quæstione est; hanc, quia non est quæstio de administratione Baptismi *publica*, sed *privata*. Quod *Cœnæ administrationem* attinet, alia est ratio; Non enim est eadem necessitas Cœnæ, quæ Baptismi administrandi. Regerit Exercitator, *publicam actionem appellari respectu persona publica*, secundum *institutionem Domini rite ea defungentis*. Petit ergo principium. Hoc enim in quæstione est, an omnis Baptismus sit *publica actio*, quæ non nisi à publico ministro etiam in privato loco peragenda sit? Neque *simpliciter negat* Wendeli.

Wendelinus, quod *adversarij affirmant*, ut effugiat vitium intentatum. Utitur enim voce *utpote*, quæ ratiocinativa particula est, seu nota rationis alicujus adductæ.

§. 26. Resp. ad 2. Grata manu accipimus, quod minorem propositionem exercitator nobis largiatur. Simul etiam, quod confiteatur, Paulum 1. Cor. XIV. & 2. Tim. I, loqui de *publico docendi ministerio*, & consequenter de *publico sacramenta administrandi ministerio*. Hinc enim patet, ex istis locis plus non concludi, quam *scæminas esse arcendas à publico docendi & sacramenta administrandi officio*; quod vero nos non ferit, quippe qui affirmativam non tenemus. Sicut ipsos nos non ferit, quod regerit de Priscilla, Loide, & Eunice, quod *publice non docuerint*, id ipsum enim nec nos volumus. Satius fuisset, Wendelinum probare, quod omnes V. T. *scæminæ*, quæ officio docendi functæ sunt, immediate fuerint vocatæ. Quod enim *appellationem prophetissæ* attinet, unde Wendelinus id probare vult, vereor, ut satis firma sit probatio. Vocabulum enim *propheta* non semper sumitur de immediatè vocatis, sed etiam iis, qui mediate vocati sunt, aut donis divinis instructi, quod ex collatione Joel. II. 28. Actor. II. 17. seq. 1. Cor. XIV. 3. seqq. patebit. Piorum regale sacerdotium non quidem asserit Laicis & *scæminis publicum docendi ministerium*, etiam secundum nostram sententiam, unde nulla est Wendelini responsio; asserit tamen *privatum*, quod eousque extendimus, donec limites illi ex scriptura ponantur.

§. 27. Vindicatum est hac ratione simul etiam tertium nostrorum argumentum de *consolandis* privatim tritioribus, unde facultas privatim etiam administrandi baptismum concludebatur. Quare ad tertium alias numero IV, progredimur, idque hoc est, proponente Wendelino: *Si infantes sine Baptismo decedentes non regenerantur, sequitur in casu mortis instantis, absente verbi ministro, permissum esse mulieribus baptizare infantes, ut hoc modo regenerentur; Atqui verum prius. Ergo & posterius. Assumptio probatur, quia Baptismus est lavacrum regenerationis.* Huic argumento, crudius à Wendeliniana Theologia proposito, Exercitatio aliud *Animadversorum*, quos vocat, substituit, *majori cum ornatu factum*. Et hoc est: *Si Bap-*

Resp. ad. 2.

Arg. III.

zismus est unicum illud medium, per quod infantes in peccatu concepti, & nati, ad vitam æternam regenerantur, sequitur, quod in casu necessitatis à persona privata possit administrari. At verum prius. Ergo. Connexi ratio redditur: quia ubi est casus necessitatis, ibi communis ordo cessat; & quia in tali Baptismo substantialia eius adsunt: Non enim requiritur ad substantiam Baptismi, ut à ministro Ecclesie dispenseretur. Assumptio probatur ex Gen. XVII. 7. Joh. III. 5. Tit. III. 5. Eph. V. 26.

ad. I.

§. 28. In priori argumento Theologia Wendeliniana assumptionem negat, & consequentiam probationis; Eo quod Baptismus lavacrum regenerationis appelletur non, quod regeneratio, virtute externi Baptismi inchoetur, aut etiam in infantibus perficiatur; sed quod per eum significetur, & obsignetur: sive ante Baptismum, sive in eo, sive post eum regeneratio per Spiritum sanctum obtingat. Resp. In hac responsione multa

vindic. I.

occurrunt emblemata heterodoxie Calvinianæ, doctrinam de Baptismo concernentia. (1.) negat virtute Baptismi aquæ, quem illa vocat externum, regenerationem vel inchoari, vel perfici. contra expressam Pauli affirmativam Tit. III. 5. salvavit nos (DEUS) διὰ λουτρῶν παραγγευσίας ἢ ἀνακαινώσεως πνεύματος & ἄξις. per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti. Quod quidem dictum Theologia Wendeliniana, ad quam nos remittit, lib. I. cap. XXII. thes. 14 Expl. II. pag. 365. intelligit de regenerationis significatione, & obsignatione; sed admodum imperite: Hic enim sensus prodiret: DEUS nos salvavit per lavacrum, quod regenerationem tantum significat & obsignat: an enim per significationem & obsignationem regenerationis salvamur? imo per ipsam regenerationem, qua adoptamur in filios DEI, & scribimur hæredes vitæ æternæ. Salus significari & obsignari non potest, nisi ea, quam jam habemus, vel certo speramus promissam. Adultos quidem, jam fideles & renatos per fidem præconceptam, Baptismus quidem non salvat perinde ut infantes, fidem ipsis conferendo, antea absentem; salvat tamen fidem corroborando, & peccatorum remissionem, & pœnarum ablationem offerendo, conferendo, & applicando.

§. 29. (2.) *Duplicem statuit Baptismum, externum & internum.* Notantibus id etiam Jenensibus Theologis; quod quidem ipse *calumniam*, ἐγκλημα & ψευδολογία Salanum, pro sua modestia vocat, quo vero jure, mox patebit. Cum enim, ait, *externum Baptismum* nomino, *materiam Baptismi* unius quidem, quem scriptura *pradicat* (Ephes. IV. 5. *externam* intelligo, cui *interna* opponitur, *que & ipsa* improprie quandoque *Baptismus* appellatur: Ad eum modum quo inter *circumcisionem* *externam*, & *internam* distinguitur, ut & inter *prapurium* *internum* & *externum*. Levit. XXVI. 41. 42. &c. Act. VIII. 51. &c. aut, quæ Beza comparatio est, sicut homo distinguitur in animam & corpus, tanquam totum in suas partes, ita *Baptismus* in *partes* suas *essenciales*, *aquam*, ut *rem terrenam*, *que est Baptismus externus*, & *spiritum*, *que est Baptismus internus*: ut *iniqui* sint, qui dicant Beza *unum Baptismum* in *duo* tota *divisisse*; Et *frustra tumultuetur & sophisticetur* Gravverus, cum inquit, *per turpissimam & crassissimam ignorantiam* elenchi *confundi causam instrumentalem* cum suo effectu, *absurdissime causam instrumentalem*, & *eius effectum* constitui *unius totius partes essentielles*. Ablutionem illam *sordium anima*, quam vocant *Baptismum internum*, dicimus esse *fructum & effectum Baptismi*, tanquam *causæ instrumentalis*: Quandoquidem Beza per *ablutionem sordium* intelligat non commune apotelesma *Spiritus S.* & *ministri Ecclesiæ*, seu, quod est ab *externa ministri*, & *interna Spiritus DEI* actione; sed *peculiarem Spiritus DEI* actionem, à *ministri externa actione distinctam*, etiam secundum *Lutheranos nonnullos &c.* Inter quos etiam *Heerbrandus*, *Hurnius*, *Saccus*, *Hoffmannus*, *Brentius*, *Baptismum* in *internum* & *externum*; sicut *vetustiores* inter *Baptismum fluminis*, *flaminis*, & *sanguinis* *dislinxerint*; & *gemina ablutionis* sæpe *meminerint*. Ita conatur *Wendelinus*, se, & suum *Beza*, aliosq; ἑμοψήφους à *duplici Baptismo* liberare, sed *inani conatu*, quod patebit, si *æquivocationes terminorum & phrasium* *evolva-*
mus.

§. 30. *Baptismus* distinguitur in *externum* & *internum* vel *ratione materię*, vel *ratione effectus*; *Ratione materię*, ut *externus* appelletur respectu *aquæ*, quæ *terrena mate-*

ria est , & internus ratione Spiritus sancti , qui interna mate-
 ria est. *Ratione autem effectus & fructus* externus Baptismus
 ille vocatur , qui in baptizato nullum fructum producit , ut
 non producit in hypocritis , quippe quibus non prodest ad re-
 missionem peccatorum , regenerationem , renovationem , &
 æternam salutem ; quem tamen producere potuisset , dum ,
 æquè ac supra fideles , aqua cum re cœlesti sacramentaliter
 unita , adeoque etiam res cœlestis , quæ juxta Bezam est *Christi*
sanguis , effusa fuerit super hypocritas ; Internus vero vocatur ,
 qui in baptizato fructum illum , quem debet , & DEUS inten-
 dit , producit , imo ipse fructus est , per Baptismum aquæ &
 spiritus productus , ablutio nempe & remissio peccatorum , ju-
 stificatio , Spiritus sancti participatio fructuosa &c. *Luthera-*
norum sententia , materia terrena & cœlestis ita sacramentali-
 ter unita est , ut unam indivisam constituant Baptismi mate-
 riam , quæ unà , & simul dispensetur & effundatur in quosvis
 sive electos , sive reprobos , sive credentes , sive incredulos , si-
 ve fideles , sive hypocritas , sive regenerandos sive non regene-
 randos ; Eorundem sententia , diversa quidem sunt ἐνεργήμα-
 τα Spiritus sancti , & ministri , sed unum ἀποτέλεσμα , ita ut
 non solus Spiritus sanctus hominem abluat à peccatis , regene-
 ret , vivificet , renovet , salvet in Baptismo , & per Baptismum ,
 sed etiam minister Baptizans , etsi organicè , seu instrumentali-
 ter ; Neque solus Spiritus sanctus effundat rem cœlestem , se-
 se nempe , sanguinem Christi &c. Sed etiam Spiritus sancti
 minister subordinatus. *Calvinianorum* vero sententia res ter-
 rena & res cœlestis Baptismi , non ita unitæ sunt , ut indivisim
 dispensentur , & promiscuè omnibus offerantur , sed divisim ,
 ita ut nonnullis , nempe electis , offeratur , & conferatur et-
 iam res seu materia cœlestis , quæ non modo non conferatur
 reprobis , sed nec offeratur ; Et offeratur & conferatur non
 præcise cum aqua , vel per aquam , tanquam secum indivulsè
 unitam , & medium quoddam exhibitivum ; sed immediatè à
 Spiritu sancto ; Nam porro ex sententia Calvinianorum ablutio
 à peccatis , i. e. effectus Baptismi internus est opus solius Spi-
 ritus sancti , seu , ut Wendelinus loquitur *peculiaris Spiritus DEI*
actio , à ministri externa actione distincta ; ita ut solus Spiritus
 sanctus ,

sanctus, & immediatè quidem, hominem abluat à peccatorum sordibus, non minister, neque Spiritus sanctus *per* ministrum, aut *per* aquam, tanquam secum operantes, & influentes in idem *ἀποθέλημα*, id quod verba Wendelini, §. 27. allegata clarè profitentur.

31. His discussis, apparet, meras esse nebulas, quas lectori offundit Wendelinus, tanquam neque ipse, neque Beza duplicem statuunt Baptismum. Distinxit ille in Theologia inter *Baptismum externum*, adeoque & inter *internum*; Nam externum & internum vi correlatorum se invicem inferunt: Esto, non distinxerit ut in *species proprie sic dictas*, quod Jenensium allegata verba non dicunt; tamen distinxit, nec differi potuit Wendelinus, confessus *externa* materiæ opponi *internam*. Si aqua, materia terrestris, est Baptismus externus, proprie sic dictus, ut Wendelinus vult, cur sanguis Christi, quem Beza, & ipse Wendelinus in Theol. lib. 1. c. XXII. θ 9. statuunt cælestem Baptismi materiam, non sit Baptismus internus proprie sic dictus? Nisi Wendelinus velit in Baptismo *meram* aquam pro materia adæquata admittere, non Spiritum sanctum, non sanguinem Christi, sicut aquæ sacramentaliter unita sunt. Accurate loquendo, neque aqua est Baptismus externus, neq; sanguis internus, sed materia Baptismi unius ejuſdemq; *Circumcisio* quidem alia est *externa*, nempe carnis, alia *interna*, nempe cordis, sed ratione effectus, dum in hypocritis sola caro circumcisâ fuerit, non cor, ut in fidelibus, quorum tamen hypocritarum etiam cor Deus voluit, voluntate antecedente, circumcidere, æque ac fidelium, & hoc sine ordinavit circumcisionis sacramentum idem, quoad substantiam, & efficaciam in se, quod ordinavit fidelibus, & electis. Hoc plane sensu si Calviniani intelligerent Baptismum externum, & internum, non haberemus, quod in ipsis desideraremus, sed alio sensu ipsos distinctionem intelligere in præmissis §. 29. auditum est. Bezæ Jenenses nuper, & olim Jac. Andreae injuriam nullam fecerunt, cum duplicis Baptismi ipsum insinularunt, utpote qui in verbis ab ipso met Wendelino allegatis, expresse distinguit in Baptismo inter *actionem hominis externam, qua est Baptismus externus, & internam spiritus, qua est Baptismus internus;*

En tibi alios agentes, spiritum, & hominem; aliam materiam, spiritum hinc, inde aquam; aliud objectum, animam, & carnem; alios effectus, ablutionem externam & internam. An hi non sunt diversi specie baptismi? Repetendum enim, & identidem inculcandum est, quod Calvinianâ sententiâ Spiritus sanctus & minister, res cœlestis & terrestris, actio externa & interna non sint subordinata, & unita, seu indivisa, sed separata, & divisa, nec unumquodque quod suum est agat cum communicatione alterius. Et injuria fit B. Dn. D. Gravvero, cum homini illi, veluti ex fœce plebis, *insolentia & fastus ἀθεόλογος* à Wendelino, *crassissima item, & turpissima ignorantia elenchi* impingitur, quando dixit, *confundiâ* Beza, & Calvinianis *causam instrumentalem cum suo effectu*; Dum constituuntur *unus totius partes essentialis* aqua & ablutio sordium animæ. Ponamus enim, quod Wendelinus contendit, Bezam per *ablutionem sordium anima* intelligere *actionem* Spiritus sancti, & differentiam esse inter ablutionem, ut est *actio, & passio, commune ἀπολέσμοις*, quod est *ab externa ministri, & interna spiritus Dei, actione, & peccatorum quoque appellatur ablutio*; nihilominus verum est, quod Gravverus dixit, quia cum illa interna Spiritus sancti actione indivulso nexu cohæret passio, seu passiva ablutio Baptizati; Nec enim Spiritus sanctus interne agit nisi in eos qui actionem ejus recipiunt, & admittunt. Hinc est, quod Calviniani, & in his nominatim Wendelinus, effectum Baptismi referunt ad materiam Baptismi. En tibi tuamet verba, Wendeline, ex Theologia tua, eo ipso loco, ad quem nos remisisti, nempe lib. I. cap. XXII. thes. 9. *Materia, ex qua Baptismus constat, est vel externa, oculis obvia, qua signi rationem habet, & est (1.) aqua, (2.) immersio seu aspersio: vel interna, ab oculis remota, qua res signata est. (1.) sanguis Christi. (2.) Mundatio à peccatu, seu regeneratio, qua nobis obtingit per & propter Christi sanguinem pro nobis fufum. (3.) Unio nostri cum Christo arctissima.* In quibus verbis non dicam quam turpiter Anhaltinus Rector confundat materiam baptismi, aquam & sanguinem, cum actibus formalibus, immersione seu aspersione; & effectis, mundatione à peccatis, regeneratione, unione cum Christo; sed hoc

hoc solum dicam, quod effecta hæc ad Baptismi materiam referat, cujus tamen effectus sunt; Effectus, inquam, aquæ Baptismalis, tanquam organi, est ablutio à peccatis, regeneratio, unio Mystica: Et tamen Gravverus tantis conviciis laceratur, quod eam Calvinianis sententiam imputet.

§. 32. Quo sensu nostrates distinguant inter Baptismum externum, & internum, Jam § 29. Explicatum est, nempe non sensu Calviniano, tanquam non sint sibi invicem subordinati, & unum numero baptismum constituent; Nam Heerbrandus, à Wendelino allegatus, expresse dicit: Hic (internus) *conjunctus est Externo* (Baptismo) PER QUEM ET FIT. Sed sensu orthodoxo, ratione materiæ & effectus, quod externus sic dicatur ratione *aquæ*, in oculos & alios sensus incurrentis; internus ratione Spiritus sancti, in oculos non incurrentis, nec carnem sensibiliter afficientis, sed in corde operantis *peccatorum ablutionem, & suimet donationem* per illam ipsam aquam, Baptismi materiam externam. Porro veteres distinxerunt quidem inter Baptismum flaminis, fluminis, & sanguinis, sed non dixerunt, quod Calviniani, Baptismum fluminis esse solum aquæ, saltem in reprobis, & non spiritus, cum aqua sacramentaliter unti, & effusi etiam super reprobos: Id quod in quæstione est; Datur quidem Baptismus flaminis, ubi non datur Baptismus fluminis, ut in discipulis Christi, die Pentecostes, in quo, quod promiserat Christus paulo ante sui ascensionem Act. I. 5. impletum est, cum Spiritus sanctus super eos in linguis igneis effunderetur, cap. II. 3. seqq.: Sed non datur Baptismus fluminis sacramentalis, ubi non simul detur Baptismus flaminis; Nam in Baptismo fluminis Spiritus sanctus super Baptisatum effunditur. Tit. III. Largimur quoque *geminam ablutionem*, alteriam carnis, alteram cordis; sed non divellimus eas, quasi ablutio cordis in Baptismo non fiat per aquam, qua caro contingitur, madefit, & abluitur: sed dicimus, in Baptismo unam illam esse actionem ἀπολεισματικὴν, diversa nomina à diversis terminis consecutam.

§. 33. (3.) *Facit ex Baptismo merum signum.* Contra verba Christi Ioh. III. 5. *nisi quis renatus &c.* Regeat quidem Exerc. p. 1366. *non tantum esse signum & sigillum, sed & sano.*

sano sensu, efficax renascentia organum, juxta Theol. cap. XX, Theol. 14. expl. 3. ubi docet, Baptismum esse efficax renascentia organum, non vero per vim quandam inherentem, qua instar physica agit causas, & fide etiam se non exerente, vel absente, nobilem hunc effectum producat; sed per modum cause moraliter agentis, quatenus nempe verbi instar Christum cum omnibus beneficiis nobis exhibet ex ordinatione divina: Et testatur, ac confirmat, omnes vera fide externum hoc & visibile symbolum accipientes, tam verè & certo, propter Christi sanguinem, virtute Spiritus Dei, renovari, regenerari, & à suis peccatis purgari, & lavari, quam verè & certo videant, & audiant, se sacramentali hac aqua, ex institutione Dei, in corporibus suis conspersos, & lotos esse, vel conspergi, & lavari. Ex his verbis patet, quod organum efficax renascentia in schola Wendeliniana sit, Christum per modum verbi exhibere, & testari, & confirmare, Baptizatos propter sanguinem Christi per fidem renovari, regenerari, & à suis peccatis purgari, & lavari virtute Spiritus sancti, quod vero nihil aliud est, quam significare & obsignare, prætereaque nihil. *Sanus profecto sensus!* qui malè quadrat verbis Christi: nisi quis tenatus &c. An enim dixit: Nisi quis certior factus fuerit ex aqua? non; sed: nisi quis *renatus* fuerit, E. aqua & Spiritus i. e. Baptismus regenerant hominem, nec merè significant, & certiozem reddunt, eum regenitum esse,

4.

§. 34. (4) Statuit, *infantes ordinarie regenerari sine Baptismo, vel ante Baptismum.* Quam quidem *crassam nimis sophisticam* censet Wendelinus, sed contra suamet verba. Scripserat in Theologia, Baptismum *lavacrum regenerationis vocari, sive ante Baptismum, sive in eo, sive post eum regeneratio per Spiritum sanctum obtingat.* Hinc sequitur, quod regeneratio per Spiritum Sanctum obtingat sine dependentia à Baptismo, tanquam organo regenerationis ordinario; Obtingit autem vel ordinarie, vel extraordinariè; si extraordinarie, Ergo argumento nostro non satisfactum est à Wendelino, quod urserat, infantes ordinarie non regenerari nisi per Baptismum, quare Baptismi eam esse necessitatem, ut deficiente Ecclesiæ ministro à fœmina administrandus sit, quandoquidem ad extraordinariam
Dei

Dei gratiam confugiendum non sit, si ordinariam habere possimus: Ergo ordinarie. *Ordinarie autem omnes Christianorum infantes ante Baptismum regenerari*, non probatur ex *praxi Lutherana, que infantes non baptizat, nisi fidem ante confessos*, ut quidem Wendelinus putat. Ista enim confessio Patrinarum & Matrinarum (Hanc enim judico Wendelinum intelligere) hoc non vult, quod infantes jam credant, sed paulo post credituri sint, cum fuerint Baptizati, & ad Ecclesiam nostram pertineant, & susceptores ipsi veræ confessioni sint addicti, & in ea baptizatos educare velint.

§. 35. (5.) Sentit, *regenerationem, que post Baptismum obtingit, eo obsignari*, quod ἀγοράζω. Regerit Wendelinus, Baptismum esse etiam sigillum justitiæ, & est quidem sigillum justitiæ, sed *presentis & antegresse*, ut fuit circumcisio in Abrahamo sigillum justitiæ fidei, sed quam jam ante, præputiatus adhuc, habuerat, non vero consequentis, si Baptismum intelligas de actu Baptizationis, *Instat Wend. apostatus (electis) si ad mentem sanam redeant, Baptismum sigillum esse justitiæ non tantum primæ, sed & post naufragium & jacturam primæ, secundæ.* Resp. concedo, si de fœdere Baptismali, ex parte Dei illæso, intelligatur; nego, si de ipso actu, qui fuit olim, cum primum regenerarentur.

§. 36. Hactenus argumenta nostra ex Theologia Wendeliniana. Systema duo alia addit, & (i.) quidem, quod juxta nostrum numerum sit V, hoc est: *Indulgetur juvenibus, etiam non vocatis, & ordinatis, ut conciones habeant, quo se exercent; Ergo etiam non vocatis, & ordinatis Baptismi administratio permitti potest.* Wendelinus N. C. Ratione addita, quod tales conciones non sint publicum ministerium, sed præparatio tantum ad ministerium publicum; Baptismus autem sit ministerium publicum; juvenibus talibus etiam apud Lutheranos inconcessum. & Sunt publicum ministerium, quatenus in publico loco, & tacito Ecclesiæ consensu, & permissu, qui instat vocationis est, & ad ædificationem auditorii habentur; Certè magis publicum dicerem ministerium, quam Baptismum à muliere intra privatos parietes in casu necessitatis administrarum

Argum. V.

stratum. Iisdem studiosis etiam baptizare licet in casu necessitatis, & absentia ordinarii pastoris.

Arg. VI.

§. 37. 2. Arg. nobis VI, petitur ab auctoritate antiquitatis, nominatim Tertulliani, & aliorum ex veteribus, qui *Laicorum Baptismum approbarunt*. E. *Laicis quoque fas est baptizare*. Regerit Wend. N. C. *Quod Tertullianus permisit id permittere non debuit. & alii Patres non permisissent*, Basilius, Cyprianus, & alii. Resp. Tertullianus igitur, cum secundum Lutheranos sentire videtur, improbat; cum contra ipsos, approbatur, ut supra in argumento V. adversariorum. Ubi locorum Cyprianus (is enim Basilio præponendus) & Basilius, & alii patrum, & qui illi alij? non permisissent Mulierum privatum Baptismum, Wendelinus omittit, credo ideo, quod parum præsidii in illis invenerit. Nos contenti unius Hieronymi testimonio, dicimus: *Frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere (baptizare) Laicis*. adv. Lucif. t. III. f. 63. D. confer Concil. Eliber. can. 38. Greg. Naz. orat. XL. f. m. 261. citatos in nostris Antiq. sec. IV. tom. post. artic. VIII. sect. I. §. 53. & alios. t. I. artic. II. sect. I. §. 100.

II.
Controversia
de
iteratione
Baptismi.

§. 38. Hactenus argumenta vindicavimus, quæ nostrates pro *ὑπανάκλησις* proferre solent; Quod enim attinet argumentum de Anania Act. IX. 17. 18. Dnn. Jenenses pro nostro agnoscere nolunt. Quare rem habeat Wendelinus cum Bellarmino & Pontificiis, qui eo utuntur. Nos progredimur ad alteram principalem controversiam, cum quæritur: *An liceat Baptizatos à mulieribus denuo baptizare?* Pendet hæc quæstio à priori; Si enim Baptismus, à mulieribus administratus, ne ratus quidem, & verus Baptismus est, sequitur, quod infantes à mulieribus baptizati, tanquam nondum baptizati, sint omnino baptizandi; sin vero ratus quidem est, sed non rectus, sequitur, quod non sint, denuo baptizandi; quorum hoc statuit Ecclesia Anglicana, nempe missis aliis, *Laicorū baptismum, vel seminarum, ut fieri legibus suis vetat, sic factum ex legitima formula quodammodo non improbat, baptismum esse pronuncians, etsi non legitime administratum*, uti testatur Casaubonus in literis ad Cardinalem Baronium, Ob. 3. Istud vero Calvinus,

nus, cujus iudicio *γυναικοβαπτισμὸς* pro nihilo ducendus est. Pastorum ergo officium esse, eas compescere; interea legitimo Baptismo consecrare infantes, qui stulta & prapostera emulacione nihil aliud, quam polluti fuerunt. Epist. ad Pop. p. 327. & p. 334. Vbi de vero Baptismi usu admonita fuerit Ecclesia, quod pugnet cum Christi instituto, pro nihilo ducendus est, ac de integro baptizandus qui pollutus fuerit profana aspersione. In eadem sententia est Beza, cum interrogat: De Baptismo à privato, vel ministerio verbi non fungentibus personis administrato, quid censes? Et respondet: Non pluris faciendum, quam id, quod Regis, vel reipublica nomine, privatus quispiam pro libito gereret: aut quam sigillum ad publici imitationem à privato quopiam effectum, & cuiuspiam instrumento appensum, aut quam fabula. B. q. 140. pag. 347. volum III. part. II. qq. & Resp. Alstedius quoque questionem movet: An sint iterum baptizandi, qui à Laicis, vel mulieribus fuerint sincti? Et Resp. illi nunquam fuerunt baptizati. E. non rebaptizantur, sed recte demum baptizantur. Cal. conscient. c. 50. §. 23. Confer. Theol. Catechet. p. 430. Cham. de Baptis. lib. V. cap. 14. Appel. in cens. p. 48. & praxin quotidianam. Ratio palmaria est, quod vocatione legitima destituantur fœminæ. Wendelinus mentem suam clare non explicat, sicut non in eo, an sit ratus talis Baptismus: ita nec in eo, an iterandus sit?

§. 39. Sententia orthodoxorum communis negat, talem Baptismum, iterandum esse, utpote supposito, quod sit non ratus tantum, sed etiam rectus & legitimus, de quo in præmissis disputatum est. Pendet nimirum virtus & efficacia sacramentorum non à ministris, & eorum sexu, qui in Christo non est diversus. Gal. III. 28. sed à Deo, auctore principali. 1. Cor. III. §. 6. 7. *ut omnis virtus salvifica uni Domino transcribatur*: quæ verba sunt confessionis Helveticæ prioris. harm. confess. sect. XII. p. m. 74. & à divinis organis verbo & aqua cum Spiritu sancto sacramentaliter unitis, & intrinsece efficacibus. 1. Pet. 1. 23. Iac. 1. 21. Tit. III. §. 6. 7. Per hæc Deus efficax est, quicumque denique sexus ipsa administret. Ad rationem adversariorum palmariam, de defectu legitimæ vo-

cationis, respondet D. Hunnius, si vera sunt, inquit, que scribit Beza, Baptismum scilicet à solo legitime vocatis Ministris rite administrari, quos, Deum immortalem! quam tristes, & quam horrenda dubitationes orientur apud anxias conscientias? Anne ab huiusmodi personis sint baptizate, quarum ministerium coram Deo ratum habeatur? Quam longus & latus erit apertus campus in dubium vocandi veritatem atque substantiam ejus Baptismi, qui sub papatu administratur à sacrificulis? De quorum vocatione num legitima sit? fieri non potest, quin dubitent anxie conscientie, cum hi non vocentur ab Ecclesia (Pontifex enim universum jus vocationis sibi suisque juratu Episcopo in solidum vendicat) sed ab Antichristo, & Antichristi mancipijs; & vocentur, non ut Evangelium annuncient; sed (quemadmodum forma ordinationis illorum habet) ut missas celebrent, & sacrificent pro vivis & defunctis; atque sic non per verum ostium intrent in ovile, sed tanquam fures & latrones aliunde ascendant. Loc. de sacram. cap. XIII. pag. 282. Quod argumentum urgent etiam Darmstat. fund. deduct. cap. VII. f. m. 478.

§. 40. Negativam nostram probat ipse Cinglius, quando Tom. II. lib. de Bapt. p. 96. 6. scribit: Alter error circa personam circumstantiam versabatur, quod Baptismum à nemine alio, quam à solo sacerdote, conferri posse putarent, cum interim quisvis hominum hoc facere possit imò femina quoq. quādo sic necessitas postulare videatur. Baptizatus igitur à femina, in casu quidem necessitatis, legitime est baptizatus, nec denuo baptizandus. Quotendit hypothesis Zanchij, quod vel Turca, ad Christianismum conversus, baptizare possit conversos à sese, et si ipse nondum baptizatus, utpote minister Dei extra ordinem vocatus: Tom. VI. epist. ad Ephes. pag. 225. citantibus Darmstattinis, f. 478. cur igitur non licuerit femina, in casu necessitatis vocata?

§. 41. Possemus negativam nostram pluribus argumentis quidem probare porro; cum ex scriptura, tum ex antiquitate, nisi sufficeret probasse ante, & hactenus vindicasse, argumenta nostra pro $\gamma\upsilon\nu\nu\alpha\omicron\beta\alpha\pi\tau\iota\sigma\mu\acute{\omega}$ recto, & rato:

*υπαρχοσάντων ποα videtur exinde qd contra Reformatos stabiliiri Nam
posse, quoniam ipsi met baptismum Pontificiorum quos hi. pro legitimis
sibi divini ministris habere nequeunt ratumq. rectum esse dicunt.*

Nam hinc, ipsi adversariis latentibus, ulcro sequitur, Basilinum illum non esse repetendum.

Corollarium.

An Basiliensi Imperatoris quondam Romani literæ circulares, adversus synodum Chalcedonensem anno Ch. N CCCCLXXVI publicata, sicut exhibentur ab Evagrîo lib. III. hist. Eccles. c. 4. comparari possint conatibus Irenicis hodiernis? Affirmavit quondam sub meo præsidio disputans Cl. Dn. M. Joh. Ernestus Heringius, Dresdensis, tunc temporis Facultatis Philosophicæ in universitate Wittebergensi Adjunctus; Fautor, Amicus, & φίλος noster, nunc p. m. Negarunt idem postea Elias Grebenizius Theol. D. & Prof. ordin. in Academia Francofurtana ad viadrum, præses, & Joh. Christophorus Becmannus Servesta Anthaltinus, tunc subles ejus (nunc vero in eadem Academia Historiarum PP.) in disputatione in augurali, de auctoritate conciliorum, habita anno 1672. & non ita pridem mihi exhibitæ à meo Dn. Respondente; Sic enim illi §. 4. de concilio Chalcedonensi loquentes: *Vix ab ipsis Imp. ei haut multo minor, quam antea concilio Nicano, adhibita, emisseque à Basiliensi Imperatore circulares, quibus abolitum reddere voluit, non pacis studio: Ita enim ipsi pariter ac opposita sententia libertatem reliquisset: Et oppido frustra est Bebelius Argentoratensis, qui literas istas conatibus Irenicis hodiernis proluxa dissertatione comparat, licet dimidia ejus parte, usque numerus paginarum cresceret, tantum in vulgatissimis de conciliis & imperio principum cetera sacra occupata; sed animo sacro sanctam fidem Parram Chalcedo evertendi; iubet enim decreta ejus anathemati addici, igni comburenda tradi, atque ita abrogata Ecclesia prorsus ejici: Quod querere ne cogitant quidem, qui pacem Ecclesiasticam hodie amant. Ideo Evagrîus: Statim contra fidem præliatus est, Zenobia maxime incitante illum ad istud. Sic illi, Sed (1) in limine impingunt disputantes, cum Bebelio adscribunt dissertationem, & omittunt M. Heringium, qui dissertationis auctor fuit. (2.) negant, quæ Basiliensis diserte affirmat, se*

circulares istas literas emisisset, ut concordia, qua omnibus operabilis est Ecclesis, stabiliretur. (3.) Rationis loco allegant, quod rei ipsi è diametro advertatur: Allegant enim, quod *ira ipsi pariter ac opposita sententia libertatem reliquisset*, si pacis studio literas emisisset. Sententia vero Eutyichianorum directe contradicebat sententiæ Chalcedonensium, & contra; Et utrique sententiæ erant annexi anathematismi, quibus saltem pars alterius sententiam condemnabat; Qui igitur paci studere potuit, si ipsi pariter ac oppositæ sententiæ libertatem, scilicet contradicendi, & condemnandi, reliquisset? Perinde dixeris, paci studere eum, qui libertatem bellandi utrique contendentium parti relinquit. (4.) Protestatio est contraria facto, cum dicunt: *quod querere, ne cogitant quidem, qui pacem Ecclesiasticam hodie amant.* Quid cogitent illi Irenici, ego quidem, qui *καρδιογράφος* non sum, non exploraverim. Id tamen dicere possum, quod Formula nostræ Christianæ Concordiæ apud Pseudo-irenicos non meliore loco habeatur, ac olim symbolum Chalcedonense apud Basilicum. Ut enim pax Ecclesiastica inter orthodoxos, & heterodoxos, Calvinianos maximè, coalescat, improbant Irenici in Formula Concordiæ Antithesin, e.g. in articulo VII. de S. Cæna, cujus lemma est: *Negativa, contraria & damnata sacramentariorum doctrina rejectio*, quo nomine intelliguntur non soli Pontificii, §. 1. 2. 3. sed etiam Calviniani §. 4. seqq. qui *verba Testamenti Christi non simpliciter intelligunt.* Corpus Christi in S. Cæna ore sumi negant &c. In articulo VIII. de persona Christi; *Negativa* itidem, & *contraria & falsa doctrina de persona Christi, rejectio*, qualis iterum Calvinianorum adversus personam Christi, unionem & communionem naturarum, & communicationem idiomatum est sententia Neq; igne indignam Irenici censent eadem Formulam, dum subinde recoquunt rancidam fabulam de Serenissimo Danicæ Rege, Friderico, quod *non modo sub exiliij pœna prohibuerit, ne quis in regno suo libro concordia subscriberet, vel saltem exemplar ejus unicum in illud importaret; sed & illum dono à sorore Electoris Augusti conjugæ acceptum, licet holoserico obductum, auro item & gemmis pretiosis ornatum, vulcano comburendum*

rendum tradiderit. Uti loquitur Hospinianus in concordia disc. pag. 192. refutatus à B. Dn. D. Huttero de orig. & progr. F. C. cap. XXXV. p. m. 942. Quid hoc aliud sibi vult, quam igni comburendam esse tradendam Concordiæ Formulam, atque ita abrogatam Ecclesia prorsus ejiciendam? Notus erit, credo, Censoribus Samuel Diestius Theol. & Philos. D. Nam. Professor fuit Duisburg: Clivorum; Et Diestii dissertatio Historico irenica, de lite & pace religiosa Evangelicorum, edita Duisb. Cliv. anno 1663. In ea vero disp. III. n. VIII. §. 4. pag. 215. acerbè invehitur in eos, qui ad Parrum Bergensium, in Concordia sua discordi, imitationem, novis suis conceptibus supera & infera moveant. Et n. IX. pag. 217. remedia adversus ipsos præscribit his verbis: *Refractarii debita pœna refrenandi sunt. Ecclesia igitur porro munus erit, convitiantes & rixantes, post unam aut alteram admonitionem, clavibus regni cœlorum ligare, tandemq; consumaces à sacris arcere; Nec ullos Ecclesia præficere Doctores, nisi viros pacificos, rixarum & convitiorum osores, quique dissentientes à se Evangelicos, ob dissensum non fundamentalem non execrentur & persequantur, sed fratres agnoscant. E.g. si Callixtini, & his in animi levitate & modestia similes, rigidioribus VVittebergensibus, eorumque similibus, qui quasi βοαεπυες videri volunt, præponantur. Magistratus item Politici hic munus erit, eosdem turbones, pacisque Ecclesiastica adversarios, ante à se sancita refractarijs multa, severè coercere, eamque crescentibus delictis, augere, eosdem ab omnibus publicis munijs arcere, & solos viros moderatos ad eadem promoveri; quin & subjectorum suorum liberis, studiis operam daturis, turbonum ac durissimorum illorum hominum institutioni se committere, sub pœna deneganda omnis ad politica vel Ecclesiastica munia promotionis, serio interdiciant.* Hæc Professor Clivensis. Quibus dictatis an responderit praxis istorum, & connexorum locorum, Censores forte non nesciunt.

(5.) Methodum disputationis nostræ immerito sugillant, agentes, dimidiam dissertationis istius partem usque numerus paginarum cresceret, tantum in vulgarissimis de conclijs, & imperio Principum circa sacra occupatum esse. Sit ita, quid tum?

nume-

numerum paginarum crescere, crescentibus rebus ad scopum necessariis, quis vitio verterit? Crevit numerus paginarum etiam apud Mornæum in mysterio iniquitatis (viderint Censores ubi nam? Neq; enim locum ipsi allegarunt;) Et apud Chamierum Panstrat. Cath. T. II. L. XIII. cap. XI. XII. (qui locus proximè allegatus est) Item M. A. de Dominis L. VII. cap. III. L. VI. cap. V. & Censorem ipsum Meditat. Polit. Diff. XVII. Th. 3. & seqq. allegante disputatione Inaugurali Thes. X. Nam *prolixè ab illis probatum est. Principes Politicos gubernasse prima concilia*; Num propterea vitiosum illud est? Et quis Censoribus Francofurti ad Oderam Anno M. DC. LXXII. A. D. X. Octob. quo habita est disputatio Inauguralis, in aurem dixit, quo fine M. Heringius Anno 1666. Argentorati *prolixam* dissertationem scripserit, nempe eo, ut *numerus paginarum cresceret*? Scripsit ille & disseruit de *concilijs*, sed merito. Disseruit enim de Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, quorum istorum symbola Basiliscus putavit sufficere concordie Ecclesiasticæ; hujus vero adversari, i. e. de rebus ad scopum suum facientibus. Disseruit item etiam de *imperio Principum circa sacra*, nec hoc immerito, ut discerneret nimirum pretiosum à vili, potestatem Principum circa sacra (quam à Deo habent, quidquid denique Anti Vedeliani in Belgio Fœderato, & alibi obloquantur) à potestatis illius abusu, ut est apud eos Magistratus, qui Syncretismo obstetricantur. Sint *vulgatissima* hæc modo verissima, Præstat enim cum vulgo, quod verum, dicere, & veteribus consentire; quam cum sapientulis novaturire, & à veritatis tramite aberrare. In historia veritas ubique vulgata obtinere debet, non error, veteribus incognita proponens. Habet & dissertatio inauguralis *de auctoritate conciliorum* Oecumenicorum ab aliis, quos allegat ipsa, jam ante *vulgatissima*, num propterea Theonino dente arrodenda?

Maneant igitur literæ Basilisci circulares hodiernis syncretisticis parallelæ.

Soli vero Deo veritatis auctori gloria!

Pereximio Dn. M. Respondenti ,
Amico dilectissimo.



Quando solennem scandis, Büttner, ca-
thetram,

disertaturus, non sine laude tuâ:

(Sic namq; ut spero, non fallax ominor
augur,

doctrina & pietas cum mihi nota Tua)

Grator, & , ut divina juvet Te gratia porrò,
opto. Sic Tibi Tu proderis atque DEO.

gratul. f.

Sebastianus Schmidt D.
h. t. Universitatis Rector.

Ad praecellentem

Dn. M. Respondentem.

Qua sit Baptismi ratio, quem femina praestat
Infanti, quando hunc mors praesentissima
vexat,

Vitaque incerta mox exemptura videtur?

Perspicue exponit Tua Dissertatio cunctis.

Hanc Tu defendes doctè, promptèque refelles

Non bene quicquid habet Ratio, non cedere docta.

Sic Tibi nunc quod agis cedat feliciter, imò

Quicquid ages, ornentque labores commoda multa.

Isaacus Faustius. D. p. t.

Facult. Theol. Decanus.

Pereximio Dn. Magistro Respondenti
suo feliciter:

SAlva Ministerio sit functio Publica sacrae,
qua fit homo coeli filius alter, aquae.
Sint tamen & ter-salva Deo sua jura, volenti
faminea natos prognerare manu.
Si bene conveniunt amor, &, quem praecipit, ordo,
famina baptizat, tingit & ordo sacer.
Büttnero communis amor, distinctus & ordo
stant, & uterque suo, quo decet esse, loco.
Gratulor hinc, quod amet; sed & inde, quod ordo
fit ipsi
salvus, &, ut referat praemia digna, precor.

Exercitii praeses.

TE dudum, Büttner, sacris incumbere chartis,
Te vigiles noctes jungere saepe die:
Te voluisse manu Doctorum scripta vi-
rorum,
Auribus & cupide verba bibisse Tuis:
Te pietate Deum, grato coluisse Patronos
Obsequio, cunctis velle placere bonis,

Novi-

*Novimus è longo qui Tecum intervenit usu,
Deque operis fructu non dubitare licet:
Cujus erit pars magna, Tibi quam docta cathedra
Adstruet è studiis gloria parta Tuis.
Cetera quaeque suo disponet tempore, pro Te
Qua vigilat, summi provida cura Dei.*

Cum bono omine & voto
scrib.

M. Ioh. Christophorus Artopœus
Gymnaf.

H Actenus in Sacris jam multum TE didi-
cisse,
& legisse, tuum comprobat hoc speci-
men,

l. m. q.; apposuit

M. Elias Bernhardus Kreüchel.
Ung.

Q Vi cupit aeternam in caelis intrare salutem,
Tinctum undis sacri Baptismatis esse necesse
est;
Cum sine Baptismo vix ullus in aethere vivet:

Vnde ne priuentur temere medio hocce salutis
Infantes, Laicis quoque erit cedenda potestas
Baptismi. Quod cum Tu, Dulcis Amice, probare
Nunc satagas contra Calvini thema profanum,
Præmia digna feres studiis, fructusque perennes
Latus percipies, superato fine laborum.

Votum

M. Iohann. Reinarti Brechtii
Argent.

Heu! mundum ingredimur miseri vix, de-
que salute
Iam litem nobis dogmata falsa movent,
Inque salutari quærit primoque lavacro
Perdere vix natam turba inimica fidem.
Macte animo! sano qui jam pro dogmate pugnas
Baptismo vires restituisque suas,
Et sic *infantem* (quod habent proverbia nostra)
Hæresin in primo balneo, Amice, necas,

f.

M. Ioh. Caspar Kuhn. P. L. C.

F I N I S.

